



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Monumenta Paderbornensia

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Lemgoviae, 1714

Privilegium Caroli M. Imper.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-8040**

# PRIVILEGIUM CAROLI M. IMPER.


*Osnabrugensi Ecclesie datum XIII. Kal. Jan. An. III.  
Imperii, qui est annus Christi DCCCIII.*

**I**N nomine Patris & Filii & Spiritus sancti Karolus serenissimus Augustus à Deo coronatus magnus pacificus Imperator Romanum gubernans imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum. Quicquid enim locis sanctorum venerabilium ob amorem Domini nostri Ihesu Christi & reverentiam sanctorum cedimus vel condonamus hoc ad mercedis augmentum vel stabilitatem regni nostri in Dei nomine pertinere confidimus. Igitur notum sit omnibus fidelibus presentibus scilicet & futuris qualiter donamus ad Basilicam sancti Petri Principis Apostolorum & sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani quam nos construximus in loco Osnabrugki & corpora illorum illuc transtulimus ubi præest vir venerabilis Wiho Episcopus omne regale vel seculare iudicium super suos servos & liddones & liberos malman & mundman & omnes utriusque sexus homines eidem æcclesiæ pertinentes, quos modo possidet vel deinceps adquisierit & perpetuum de regia potestate confirmamus absolutionem ita ut nullus iudex publicus dux comes vel vicecomes vel scultetus sive missi dominici per tempora discurreres loca illius Episcopatus ad placita habenda vel freda exigenda & parafreda aut aliquem de præscriptis eidem æcclesiæ pertinentem ad sua placita bannire vel ad mortem usquam terrarum dijudicare vel aliquo modo ullo unquam tempore aggravare audeant. Sed liceat præfato Episcopo suisque successoribus & suo Advocato res prædictæ æcclesiæ cum omnibus sibi pertinentibus quieto ordine possidere ordinare atque disponere.



disponere. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur ac diu-  
turnis temporibus melius conservetur manu propria subter  
eam roborare decrevimus & de annulo nostro sigillare iusti-  
mus

Signum



Caroli piissimi ac serenissimi  
Imperatoris

..... ad vicem Radoni



Data XIII. Kal. Jan. anno III. Christo propitio Imperii nostri  
& XXXVI, regni nostri in Francia, atque XXX. in Italia,  
Indict. XI. Actum Aquis palatio publico in Dei nomine  
feliciter amen.

PRI-



# PRIVILEGIUM CAROLI M. IMPER.

*Osnabrugensi Ecclesie datum XIII. Kal. Jan. An. III.  
Imperii, qui est annus Christi DCCCIII.*

**I**N nomine Sanctæ & individue Trinitatis Karolus Imperator augustus Romanum gubernans Imperium, qui & Rex Francorum & Langobardorum, nec non modo dominator & Saxonum. Notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus nostrisque præsentibus scilicet & futuris, qualiter nos ob nostræ mercedis augmentum Wihoni Osnabrugensi Episcopo suæque Ecclesiæ quam nos primam omnium in Saxonia in honore sancti Petri Principis Apostolorum & sanctorum martyrum Crispini & Crispiniani construximus quoddam nemus vel forestum infra hæc loca situm, Farnyvingil, Rutanstein, Angeri, Osning, Sinedi, Bergashovid, Drevenomeri, Etanafeld, Dumeri, collaudatione illius regionis potentiam cum omni integritate in porcis videlicet silvaticis atque cervis avibus & piscibus, omnique venatione quæ sub banno usuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgranum pertinentis in silva Osning in perpetuum proprietatis usum donavimus, ea videlicet ratione, quod si quisquam hoc idem nemus nostro banno munitum sine prædictæ sedis Episcopi licentia studio venandi vel silvam extirpandi vel aliquod huiusmodi negotium peragendi umquam intrare præsumpserit. Sciat se tam divinæ quàm & regiæ ultionis vindictam incursum. Nec non pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis, quos nobis pro banno violato deberi statuimus redditurum. Insuper verò eidem Episcopo suisque successoribus perpetuam concedimus libertatem & ab omni regali servitio confirmamus absolutionem. Nisi forte contingat ut Imperator Romanorum vel Rex Grecorum conjugalia fœdera inter filios eorum contrahere disponent, tunc Ecclesiæ illius Episcopus

Ss

omni



omni sumptu à Rege vel Imperatore adhibito laborem simul & honorem illius legationis assumat & hoc ea de causa statuimus quia in eodem loco grecas & latinas scolas in perpetuum manere ordinavimus, & nunquam Clericos utriusque linguæ gnaros ibidem deesse in Dei misericordia confidimus. Et ut hæc auctoritas firmiter habeatur ac diuturnis temporibus melius conservetur manu propriâ subter eam roborare decrevimus & de annulo nostro sigillare iussimus.

Signum



Caroli piissimi Imperatoris

Amalbertus ad vicem Ercanbaldi recognovi



Data XIII. Kal. Jan. anno IIII. Christo propitio Imperii nostri & XXXVII. regni nostri in Francia, atque XXXI. in Italia,

Actum Aquisgrani palatio in Dei nomine feliciter amen.

CA-